

suscipiant, et beato Petro principe apostolorum acciti¹ ad fidem, merito eius ecclesie usum salubrem tenemus, cui ipse praesedit. Nam Greci adhuc octo ebdomadas ieiunant, preter sabbatum et dominicam diem et solum sabbatum festivitatis pasche ieiunant, in memoracione luctus Apostolorum, qui fuit tempore passionis Christi. Et legi in litteris Albini magistri, missis ad Karolum imperatorem² sancte memorie, referendo de septuagesimo, quod audiret in coetu Romanę ecclesie quosdam ab illo tempore, id est septuagesimi numeri, olim orientales inchoasse ieiunium, quod fieri potest propter refectionem quintę ferie. Melciades qui fuit XXXIII a beato Petro ita: 'Ne³ quinta feria ieiunium quis de fidelibus agat, quia in his diebus pagani quasi sacrum ieiunium celebrant'. Quapropter non est alienum a fide, ut sicuti Greci octo ebdomadas ieiunant propter refectionem quintę ferie et sabbati, siquidem et nos non discrepamus⁴ ab ipso ieiunio. Ieiunamus de Alleluia VIII ebdomadas. Ieiunium humilitatem significat⁵, sicut dicitur in psalmo⁶: 'Et humiliabam in ieiunio animam meam'. Humilior lingua latina greca⁷. Antiqui etiam ciborum abstinenciam, ut refertur in suprascripto libro⁸ et in eodem capitulo, non similem habebant. Nam alii ab animatis⁹ abstinebant, alii tantummodo de animatis pisces comedebant; alii cum piscibus volatilia; alii abstinebant a caulibus et ovis; alii sicco pane vescebantur; alii ieiunabant usque ad horam nonam et sine discretione ciborum reficiebant. Et sicut in eodem libro capitulo XXXV¹⁰ legi, quando confitebantur peccata sua, non uno eodemque modo abstinentia¹¹ agebatur. Sic enim scriptum est¹²: 'At illi afflictionibus sponte vacantes, aut ieiuniis, aut abstinentia lavacri, aut suspensione ciborum, aut rebus aliis'. Quem usum videtur tenere ecclesia nostra, propter communionem universalis ecclesiae, ut aliquomodo a licitis abstinendo cum universali concordemur, id est ab Alleluia novem septimanas, concordando cum his, qui dicuntur ieiunare aut ieiunasse novem septimanas. Dictum est enim, ieiunium humilitatem significare. Qua de causa humiliore glosa latina aperte ieiunium demonstratur in abstinentia Alleluia. Ad id etiam valet, ut profusius ieiunium exprimatur circa ipsud tempus paschale, quando apostoli tristabantur et ipse Christus, sicut refert Evangelium: 'Tristis est anima mea

1) Geändert aus 'accidi'. 2) Alcuini Epist. 96. Jaffé, Bibl. VI, 399.

3) 'de' Hs. Im Liber pontificalis XXXIII (Migne 129, 1499) steht: 'constituit, ut nulla ratione die Dominico aut quinta' etc. 4) Vielleicht 'discrepemus'. W.

5) Cf. S. Augustini Ep. 36 c. 13. Ed. Migne II, 150.

6) Psal. 34, 13. 7) So die Hs. 8) Hist. tripartit. L. IX. c. 38.

Cassiod. ed. Garet I, 323. 9) Ueber a(tis) ist in der Hs. ein n gesetzt.

10) 'XXXV' Hs. 11) Auf Rasur. 12) Hist. tripart. L. IX. c. 35.

Cassiod. ed. Garet. I, 321.